

lari potest. Immò de totâ fortunâ idem concludere licet, namq; in eâ nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis inesse manifestum est, quæ nec se bonis semper adjungit, nec quibus adjuncta fuerit, bonos efficit. Adeò rectè monuit ille apud CAMERARIUM, λ *Vitia virtutis specie venenum esse validissimum*, quod propinare solent homines oratione circumtonsâ, fucatâ & manufactâ, in quam hactenus in vecti fuimus.

Nec CAROLUS SCRIBANUS JESUITA μ hoc diffiteri potuit: postquam enim sibi PHILIPPUM IV. HISPANIARUM REGEM CATHOLICUM instituendum sumisset inter alias scelerum in Principe caussas retulit ejusmodi laudatores atq; probatores, qui si demandantur, crima prope omnia à sceptris & purpurâ exclusum iri statuit, *Laudâsse*, inquit, *in Principe crimen, impulisse in illud & in majora est.* *Animos addit, qui laudat, & audientiorem laudatio facit, & ad paria aut deteriora quasi manu dicit.* Exclamat porrò, *Audeo dicere, Tolle à principe scelerum laudatores, nulla aut perrara erunt scelera, alitur crescitq; improbitas laudibus, ad vocato eam in rem CTPRIANO scribente, Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem administrat, nec comprimit delicta, sed nutrit.* Vident nempe homines, quod apud plerosq; verba plurimùm valeant, bonaq; ac mala non suâ naturâ, sed vocibus loquentium aestimentur, quod apud TACITUM Treveris ac Lingonibus exprobrat Petilius Cerialis; unde nunquam quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non speciosa libertatis nomina usurparet atque prætexeret, quum verainterim causa esset libido atq; avaritia & mutande sedis amor. O Tacite ecquid taces!

Veritas paucos delectat plures assentatio.

In superiori programmate XLIXvo, cuius gratiâ Præterita scribere (quod idem in programmate XXCIII Itio de ANGELIS BONIS factitavi) ingressus hæc succenturio, allegaveram

BERN-

(λ) *Meditat. Histor. lib. II. c. 47.* (μ) *Politico-Christian. lib. I. cap. 18**

(ν) *lib. IV. Historiar.*